Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. I. Pars II.
Wien, 1794 Seite 2413
Quelle:
Copyright:

Quam diu rapaces istos lupos paciemur et tollerabimus qui medici esse debent et non sunt &c. Philippicam dicas potius quam Prophetiam. Neque eam in Edit. *supracit.* reperio. Utut vero utraque haec lacinia ad *Hildegardem* spectet, aut, quod credibilius, aevo sequiore illi adsuta sit, caussam certe eorum, qui tardius *Job. Hussum* secuti sunt, egregie adjuvant. Unde et Codicem nostrum in *Bohemia* scriptum fuisse, evincunt partim quaedam lingua gentis Textui et Margini minio adspersa, puta: *Pomoz pane wiernym*, i. e. Adjuva Domine Fideles. *Zla wiecz borzy ty kostely*, Mala res diruit has ecclesias &c. partim *Literae* publicae *Simonis de Tissnow Rectoris Universitatis Studii Pragen.* quibus involutus est, quibusque mox dictus Rector occasione litis inter *Andream plebanum S. Jacobi in Praga et Blasconem ac Johannem Scolares Uniuersitatis* conqueritur de Archiepiscopo *Sbincone* in Jura et Privilegia Academica involante, dictamque litem ad se evocat. Notae chronologicae abscissae sunt; veruntamen ex anno emortuali *Sbinconis de Hazmburg*, qui est 1411. et anno 1409. quo *Wenceslaus*, teste *Balbino P. I. Boh. doctae Sect.* 17. *Simonem Tissnoviensem* Rectorem nominavit, de harum Literarum tempore statui potest. Quamvis autem idem *Balbinus Sect.* 22. e Cod. *Ms.* Philosophicae Facult. ad diem 9. *Maji* narret *Simonem* a *Wenceslao* tantum Decanum ejus Facultatis constitutum fuisse, non tamen repugnat, praesertim in iis turbis, eum eodem anno etiam ad supremum Magistratum pertigisse. Id, quod Literae nostrae docent.

DCXXXII.

Codex chartaceus lat. Sec. XV. Folior. 367. f. nitide scriptus continet varios *Tractatus Asceticos* et *Mysticos* descriptos a *F. Michaele Stainbrunner* O. S. B. *ad S. Crucem in Werdea* (Donauwerd) *professo* intra annos 1482 et 1490. ut singulis Tractatibus diligenter subnotatum est, quorum quilibet insuper *Tabula* sua sive *Indice* gaudet. *Primus* igitur agit de *Revelationibus S. Mechtildis*, inscribiturque *Specialis gratie dei sic a domino denominatus.* Constat *Libris* V. in *Capita* distributis, neque videtur, ut censebat *Fabricius*, ab ipsa hac Virgine Sanctimoniali lingua primum vernacula exaratus, sed latine conscriptus ab homine forsan, qui ei a confessionibus erat. Ita enim inter alia L. II. c. *ult.* nobis *fol.* 50. p. 2. legitur: *Iste liber fere totus a persona sibi familiari cui secreta sua reuelare consweuerat ita conscriptus est, vt hec dei ancilla ignoraret.* Prodiit primum latine in Corpore variarum *Visionum Paris. apud. Henr. Stephanum* sen. 1513. f. Germanice ex *Coenobio Thierhaubtensi* 1597. 4. De *Mechtilde* plura apud *Oudinum* T. III. *col.* 239. 91